



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem
Contagiosam Aliosqve Morbos**

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. XXIV. De S. Gregorio Thaumaturgo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

dorum pompa solennissima Papiam translatum est, ubi
hodieque requiescit, sicut & matris eius Monicæ corpus
in Belgico monasterio Aroasiensi diœcesis Atrebatenſis
dicitur requiescere, quo transtatum putatur anno 1162.

C A P V T XXIV.

De S. Gregorio Thaumaturgo.

GRegorius Neocæsareæ Episcopus ob prodigiorum magnitudinem dictus Thaumaturgus, id est, miraculorum patrator, huic agmini merito venit adscribendus, utpote qui meritis virtutum suarum grauissimam pestem (ub Gallo & Volusiano Impp. totum orbem penè depascentem per angelos malos vlciscente Deo hominum impietatem, immisam, in diebus carnis suæ à Neocæsarea gentilijs tum adhuc erroribus dedita, propulsauit: nam Episcopus factus septemdecim tantum Christianos in ea inuenit. Rem gestam narrat cognominis eius Nyssenus in vita hisce penè verbis: Feriæ publicæ & vniuersales erant Neocæsareæ dæmoni cuidam domestico, patrio ritu ac more solemni celebrari consuetæ, ad quas vniuersa propemodum multitudo ex tota ea regione confluebat, atque eorum qui concurrerant theatrum plenum erat, quique postremi affluxerant subsellijs vndique superfundebantur atque omnibus ad spectacula & acroamata orchestra intueri cupientibus, plena scena tumultus & trepidationis, irrita præstigiatoribus mirabiliumque spectaculorum artificibus ostentatio erat, tumultu se- te mutuo constipantium non modò oblectationem

S 2 multæ

musicæ impediente, sed ne circulatoribus & præstigiatoribus artes suas ostentandi tempus concedente. tum verò communis ab omni multitudine vox erupit dæmonem cui festum agebant implorantium & ab eo fieri sibi laxitatēm petentium hisce verbis: *Iuppiter fac nobis locum.*

Quo auditore respondit ijs mox laxitatēm datum iri maiorem quam optarent. hac autem voce tamquam tristis sententia ab eo prolata, pestilentia continuò frequentem illum conuentum inuasit, ac statim omnis illa lætitia in luctum, omnis oblectatio in lamentationem conuersa est, & pro cantu tibiarum lugubres naniæ ubique personabant. cùm enim morbus semel homines inuasisset, opinione citius propagabatur serpebatque in modum ignis domos vniuersas depascens omnesque omnis sexus & ætatis repentina morte extinguis ita ut multi suâ sponte sepulcra adirent eò quod sepeliendis mortuis amplius alij non sufficerent. nam

*Quod se cumq[ue] acies oculorum flexerat, illis
Vulgus erat stratum, veluti cum putria motis
Poma cadunt ramis, agit atq[ue] ilice glandes.*

Ast vbi causa morbi omnibus patetfacta est, nempe quod dæmon ab ipsis inuocatus male stultorum ac miserorum preces impleret qui hanc quæ morbum consecuta esset laxitatēm in vrbe efficeret. B. Gregorio supplices fiunt, orantes, ut per eum quem ipse Deum agnosceret ac prædicaret, quem solum re verâ Deum esse & in omnes imperium habere confiterentur, mali impetum susteret & cohiberet, nam cùm spectrum quoddam ad eas ædes quibus pernicies imminebat, accederet, certissimum exitium subsequebatur; cui auertendo vnicum refugium erat si illas ædes magnus Gregorius ingredieretur ac per preces morbum qui domum inuasisset, repelleret ac submoueret. Cùm autem celeriter per eos qui primi ea ratione seruati erant ad om-

nes.

nes fama permanasset, omnia quæ prius vanitate atque stultitia adducti curabant, omittebantur oracula, sacrificia piacularia, in delubris simulacrorum commoratio, omnibus magnorum sacerdotem intuentibus & unoquoque eum ad se totius familiæ suæ seruandæ gratiâ alliciente. mercedem autem ab ijs qui seruabantur, inquit Nyssenus, salutem animarum consequebatur. cùm enim eiusmodi experientia pietas sacerdotis pateficeret, non amplius differendum censem, quin mysterium adprobarent qui per opera virtutem fidei agnoscabant. adeò illis hominibus sanitatem morbus validior erat; qui enim in sanitate ad approbationem posteriorum fidei rationibus infirmi essent, corporali morbo ad fidem conualuerunt. atque ita simulacrorum cultus errore deprehenso, omnes ad nomen Christi deducebantur, pars vrgente morbo ad veritatem quasi manu ducti, pars etiam fidem in Christum quasi munimentum quo tuti essent aduersus pestem, obijcientes: *Impie facies eorum ignominia, & querent nomē tuum Domine,* scilicet inquit Propheta: *Cum occideret eos quærebant eum & reuertebantur, & reuersionem suam maturantes, diluculo veniebant ad eum, & rememorati sunt quia Deus adiutor eorum est & Deus excelsus redemptor eorum est.* Sed audi quām opulentam mercedem, quam salutem animarum fuisse superius diximus, pro his vir Dei sit consecutus ubi suum obtum, inquit idem Nyssenus, præsensit, studiosè diligenterque totam urbem agrumque circa vicinum perscrutatur, scire volens ecquā adhuc essent extra fidem relicti. Ut igitur cognovit non plures septemdecim esse qui in antiquo errore permansissent; Acerbum quidem etiam hoc est, inquit, ad Deum suspiciens, deesse aliquid eorum plenitudini qui seruarentur: verumtamen magna gratiarum actione dignam rem esse aiebat quod totidem simulacrorum cultores relinquere ei qui sibi successurus esset in Ecclesia,

S. 3. *quot.*

quot ipsi Christianos accepisset magna sanè consolatio. precatusque deinde qui iam credidissent incrementum ad perfectionem & incredulis conuersionem, ad Deum migravit, obtestatus necessarios suos ne peculiarem sibi locum sepulturæ compararent. nam qui viuus nullius loci dominus vocari voluerat, sed in alienis tamquam inquilinus & peregrinus habitans vitam translegisset, ne post mortem quidem prorsus inquilineatum sibi dedecori fore putabat, sed in sequenti inquit saeculo fama prodatur quod Gregorius nec viuens quidem ab alio loco cognominatus fit, & post mortem alienorum locorum fuerit inquiline. Aurea sanè morientis sententia, & quæ à magnis Viris in exemplum trahatur summa animi submissio!

C A P . X X V.

De S. Eutychio patriarcha Constantinopolitano.

Surius 6.
Apollis.

NE longius ad alium orbem peregrinari cogar; in eodem Oriente adhuc me contineo. Antequam Eutychius Patriarcha ab exilio quo innocenter à Iustiniano Imp. fuerat damnatus, Constantinopolim tamquam alter glriosus fidei athleta Athanasius (huic enim eum comparat S. Gregorius Papa) rediret, pestis adeò crudeliter ibidem saeuebat, ut nisi hic à Deo electus tamquam alter Phinees obstitisset, omne genus hominum atq; omnis ætas interiisset. quomodo autem placatus est Deus supplicationibus quas ipse cum Christi studio populo adhibuit à sanctissima magna Ecclesia incipiens usque ad ædem sanctæ & immaculatæ Dominæ nostræ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ quæ in Blachernis colitur, cui & ipsa ciuitas procurante olim magno Constantino post absolutam celebrem illam trecentorum & octodecim sanctissimorum Patrum in Nicæa urbe Synodum à venerabilis